Maria Theresia etc.

Reverendi, Spectabiles etc. Probe meminerint Fideli-tates Vrae benigna Resolutionis Nostra Regia intui-tu Ecclesia Szentessiensis ab Helvetica Confessio-ni addictis occupata, et pro usu Catholicorum restauranda sub 26. Juny anni 1740. iisdem in-timata, qua mediante eandem Ecclesiam Ritui Catholico reconciliandam, et restaurationi ejus seu per Dnum Terrestrem, seu pro casu necessi-tatis ex Cassa Parochor prospiciendum ordina-vimus.

Qualiter interim Baro Franciscus ab Harukern qua ejusdem Possionis Dnus Terrestris, et attacta Ecclesia Patronus cupiens eandem con-formitate praemissa Resoluonis Nostra restaurare, in coepto jam Opere ab Eppo Vaciensi semet im-pediri, et hac ratione in Iure quoque Patronatus sibi prejudicatum iri quereletur, qualiter item tum in ejusdem Ecclesia restaurationem, ac in futurum pro exigentia Necessitatis etiam amplia-tionem, cum et Parocho pro meliori ejus Subsisten-tia excisionem Particula Terra in offerendo, se-met in privilegiato Patronatus Iure conservari supplicet, ex advoluta ejusdem Instantia Copia /. plenius informabuntur Fidelitates Vrae.

Quoniam vero Zelus hic memorati Baro-nis velut directe in Promotionem Orthodoxa Ec-clesia tendens, et attacta Resoluoni Nostra conformis laudandus potius, et probandus sit, quam ut in eo effectuando quoquomodo impedia-tur; Ad haec indubio Patronatus Iure gau-dens absque sufficienti, et legali Causa in eo turbari nequeat.

Hinc

63

Hinc Fidelitatibus Vris benigne hisce committendum esse duximus, quatenus apud memoratum Dioecesanum disponant, ne idem Paro in coepto restaurationis memoratae Ecclae Opere ullatenus impediatur, quin imo laudato ejusdem Zelo ad perficiendum quo celerius, et Oblationi circa excindendum etiam pro Parocho Fundum satisfaciendum stimuletur, ac ultra excitetur. In reliquo &c. Datum Viennae die 4a Martii 1748.

Maria Theresia m.p.

C. Leopoldus de Nádasd m.p.

Bernardus Koncsek m.p.

cA.